

XIX. Quare difficultates istæ non proponuntur hic, ut ad longum disputentur, sed ut lucem, fundamentumque afferamus his, quæ infra disputanda sunt circa quæstionem xviii. Ut ergo ea, quæ ad mentem D. Thomæ explicandam, veriora videntur, proponamus, breviter ea explico, per sequentes conclusiones.

XXX. Dico primo: Finis non specificat immediate, et ratione sui omnes actus humanos, nec in esse voluntarii, nec in esse, et ratione morali. Suppono in voluntate dari plures actus, qui generaliter in duas classes possunt distribui. Quidam sunt interiores, seu imperantes, et moventes ad alios; quidam exteriores, seu imperati, et moti. Quam distinctionem expresse tradit S. Thomas infra q. xviii, art. vi, ubi Cajetanus advertit, distingui actum exteriorem contra interiorem, sicut actum imperatum, contra imperantem; imperans, semper se habet, ut quid formale; et imperatus, ut quid materiale; quia ille est ut movens, hoc ut motum. Quare exterior actus, non semper est actus exterioris, et diversæ potentiæ a voluntate, sed etiam intra ipsam voluntatem invenitur actus interior, et exterior, et interior dicitur imperans, seu movens, exterior imperatus, seu motus. Et vocatur exterior, non quia sit exterioris potentiæ extra voluntatem, aut exterioribus membris, seu facultatibus exercitus, sed quia exterior est ad priorem actum imperantem, et moventem, licet uterque in eadem potentia sit. Et ita exterior actus dicitur dupliciter, aut exterior comparatione ad potentiam, quia pertinet ad potentiam, seu facultatem externam; aut comparatione ad actum priorem, et magis intimum, et moventem, licet uterque sit in eadem potentia. Et actus interior solet etiam appellari voluntas, sumen-

do ly voluntatem, non pro potentia, sed pro actu; nam etiam primus actus voluntatis, dicitur voluntas, sicut habitus principiorum dicitur intellectus. Quod valde præ oculis habendum est in toto isto tractatu, præsertim pro intelligendis quæstionibus de moralitate actuum, q. xviii, xix et xx.

XXXI. Dicimus ergo, quod finis per se immediate non specificat omnes actus humanos, scilicet, actus exteriores, et qui versantur erga media, imperanturque et moventur ab actu interiori, et intendente finem, sive isti actus exteriores pertineant ad aliam potentiam, nec solum sint exteriores, sed externi; sive pertineant ad eandem potentiam voluntatis. Sumitur hæc conclusio ex D. Thoma citato loco, quæst. xviii, articul. vi, ubi inquit: « Quod in actu voluntario invenitur duplex actus, scilicet, actus interior voluntatis, et actus exterior, et uterque horum actuum habet suum objectum. Finis autem proprie objectum est interioris actus voluntarii; id autem circa quod est actio exterior, est objectum ejus. Sicut igitur actus exterior accipit speciem ab objecto, circa quod est, ita actus interior voluntatis, accipit speciem a fine, sicut a proprio objecto. » Si ergo utrique actui, scilicet, interiori et exteriori, convenit habere suum objectum, et proprium objectum interioris actus, est finis; utique finis in se, et immediate non est objectum omnium actuum, si enim in se immediate esset objectum omnium esset commune omnium actuum, non unicuique conveniret habere objectum suum; nec esset proprium objectum interioris, si etiam esset objectum exterioris.

XXXII. Si dicatur esse objectum utriusque actus; sed non æque, nec eodem modo, sed primo et principaliter actus interioris, ex consequenti

autem, et minus principaliter, actus exterioris, contra est, quia non potest actus exterior attingere finem minus principaliter, si attingit illum immediate in se, ita quod ab illo immediate specificetur, quia huic actui exteriori assignandum est objectum, quod immediate et directe attingat, et a quo specificetur, et hoc debet esse proprium ejus, et distinctum ab objecto actus interioris. Ergo vel hoc objectum immediate et directe attactum, est ipse finis: vel aliquid aliud immediate attingitur, et in eo finis, ut ibi contentus. Si hoc secundum; jam finis non est immediate attactum, nec immediate specificans, cum detur aliud quod specificat immediate. Si primum; ergo finis non ex consequenti, et minus principaliter, sed æque primo specificabit actum exteriorem: quia non assignatur aliud a quo immediate, et principaliter, et directe specificetur. Denique expresse tenet hanc sententiam D. Thomas infra quæst. lx, articulo primo ad tertium, ubi inquit: « Quid moralia non habent speciem a fine ultimo, sed a finibus proximis, qui quidem, et si sint infiniti numero, sed non infiniti specie. » Quid clarius? Et 2-2, quæst. xi, articulo primo ad secundum, dicit: « Quod vitia habent speciem ex fine proximo, sed ex fine remoto habent genus, et causam. » Quod autem genus habere possit actus ex fine remoto, an genus in prædicando, an in movendo, dicemus circa quæstionem xviii, articulo vii. Sufficit nunc dicere, quod bene potest aliquid esse genus in movendo formaliter, seu per modum rationis formalis, et non efficientis, sicut lux in genere visibilis respectu colorum, dat rationem formalem generalem pro omnibus, non efficientem.

XXXIII. Fundamentum autem sumitur ex ratione dubitandi pro se-

cundo loco posita, quia finis operantis, et qui est objectum intentionis, est circumstantia actus exterioris, nec est id circa quod versatur electio, quia non est circa finem, sed circa ea quæ sunt ad finem, ut jam ponderatum est. Quod autem se habet ut circumstantia, accidentaliter se habet ad actum, non essentialiter, et specificative. Denique actus exterior est imperatus, et ortus ex motione interioris, et imperantis, ergo inferior illo, ergo diversæ et inferioris speciei, non ejusdem, et æqualis, ergo inferioris, et diversi specificativi. Non ergo finis in se immediate specificat actum exteriorem, sed aliquid inferius fine, si quidem imperat illi, et movet illum. Si autem immediate specificaretur a fine in se, non posset illi actus moveri, et imperari a fine tamquam inferior, nihil enim sibi ipsi inferius est, tam ex parte actus, quam ex parte objecti, pari enim jure censentur in hac parte, actus et objectum, cum adæquantur ad invicem. Nec obstat, finem dare appetibilitatem, seu formalem rationem appetibilitatis, mediis, sicut lux coloribus visibilitatem: dicitur enim quod finis dat mediis rationem formalem ultimam, et sub qua, generalem, non specialem, sed illa modificata a bonitate finis proximi, seu medii, constituit diversam speciem in diversis objectis, seu finibus proximis; sicut lux, quia dat visibilitatem ultimam omnibus coloribus generaliter, ita modificatur in quolibet colore, quod quilibet color cum tali lucis modificatione, diversam speciem objecti visibilis constituit, et diversam visionem terminat.

XXXIV. Dico secundo: Licet in actibus exterioribus, et imperatis specificativum ut quod, et ut res volita, non sit finis in se immediate, tamen ordo ad finem, et dependentia ab ipso, ut a motivo finalizante intrin-

sece, pertinet ad specificativum formale, et proximum actus exterioris. Et sic finis ipse, qui immediate, et in se est objectum actus interioris, mediate: et respective etiam pertinet ad specificativum actus exterioris, et imperati, id est, finis ipse ultimus, seu finis operantis, non in se, ut participatus in mediis. Et loquimur de fine operantis, seu de fine ultimo, aut remoto, non de fine proximo, seu de fine operis, quia finis iste proximus est ipsum objectum, seu materia circa quam actus exterioris: sed loquimur de illo fine, qui est objectum intentionis, et movet, seu imperat ad electionem mediorum; talem finem ut vocamus finem operantis, id est, intendentis.

XXXV. Sumit autem præcipuum fundamentum hæc conclusio, ex traditis a D. Thoma infra quæst. VIII, articulo III, et q. XII, articulo IV, præsertim ad secundum. Quibus locis docet S. Thomas, quod si finis consideretur absolute secundum se, in quantum est res quædam, est aliud objectum ab eo, quod est ad finem, et alio actu amatur: « Sed si consideretur in quantum est ratio volendi id, quod est ad finem, est unum, et idem objectum (verba sunt sancti doctoris dicta solutione ad secundum) et est unus, et idem actus. » Cujus ratio est, quia bonitas mediorum, ut mediorum, essentialiter dependet a fine, si quidem medium in tantum appetitur, in quantum conducit ad finem, si enim ratione sui appeteretur, jam appeteretur ut finis: ergo si essentialiter, et intrinsecum discrimen inter bonitatem finis, et mediorum, est, quod finis ratione sui, media autem appetantur, ut conducant ad finem, implicat, quod medium sit objectum specificativum actus tendentis ad se, nisi intret finis in obliquo, et participative inclusus in mediis, quia bonitas mediorum essentialiter est ordinata ad finem,

et participata ab eo, et sic eorum appetibilitas, finem participative includit, quatenus dicit ordinem ad finem, et in ipso ordine, seu respectu finis involvitur. Quapropter, sicut lux, et est in se res visibilis ut quod, et respectu colorum est ratio videndi illos ut quo, et sic color non specificat visum, nisi quatenus involvit lucem, ut in se participatam, et ordinem ad illam habet: sic finis et est appetibilis in se, et ratione sui, ut res volita respectu actus intentionis; et est appetibilis ut quo respectu mediorum; quia bonitas mediorum est dependens a fine, et ordinata ad ipsum, et solum attingitur ut conducens ad finem. Unde constat, quod licet finis includatur in mediis solum in obliquo, non directe, quatenus media conducunt, et ordinantur ad finem, tamen ibi pertinet ad specificationem, non autem media inclusa in obliquo in fine, pertinet ad specificationem intentionis; neque Deus in obliquo attactus a religione, vel pœnitentia, pertinet ad specificationem harum virtutum. Et disparitas est, quia finis respectu mediorum se habet, ut ratio appetibilitatis, et bonitatis eorum, quia ejus gratia appetuntur, bonitas autem et appetibilitas, pertinet ad rationem formalem voluntatis. Et ideo finis, cujus gratia, dicitur a D. Thoma principalissima circumstantia, quia finis est motivum voluntatis, ut patet infra q. VII, articulo IV. At vero media continentur in fine intento, non ut motivum, quia media non sunt, cujus gratia, sed ut effectus: et in religione, et pœnitentia, Deus se habet ut finis cui, seu persona, cui servitur; circumstantiæ autem personæ, et effectus magis extrinsecæ, et accidentales sunt, non specificantes. Sicut autem hoc habet in linea, et genere voliti, seu voluntarii, ita et in genere moralis, quia

media non regulantur a ratione, nisi ut conducentia ad finem, et consequenter ut participantia ordinem ad finem, quod est includere finem participative, seu motive.

XXXVI. Unde sequitur, quomodo in ipsis mediis inveniatur diversa moralitas, et appetibilitas, licet finis sit unus, quia diversimode participatur ille unus finis in mediis, et unum medium est magis conducens, vel proportionatum, et efficax respectu finis, quam aliud. Et sic diverso modo respicit, et ordinatur ad finem, atque adeo diversam participationem illius habet, et diversam specificationem retinet ab alio: sicut viridis color, aut albus, diversimode participant lucem, et sic licet lux sit una, specificationes tamen visionum sunt diversæ. Sed quia restat explicare quomodo cum hoc componatur, quod finis sit circumstantia. Ad hoc

XXXVII. Dico tertio: Finis dicitur præbere circumstantiam non actui interiori, cujus est objectum, sed actui exteriori, quem imperat, quando actus imperatus, etsi moveatur et imperatur a fine, non tamen habet connexionem per se, et essentialiter cum isto fine determinate, sed æque bene potest ab alio imperari, tunc species ex tali fine sumpta circumstat, et accedit actui exteriori. Et nomine actus exterioris (ut supra diximus) intelligimus non solum actum alterius potentiæ a voluntate, sed etiam actum imperatum, et intra voluntatem elicatum, ut est actus electionis, quod egregie notavit Cajetanus infra q. XVIII, articulo VI, §. in responsione ad secundum, ita quia actus elicatus a voluntate, sed imperatus ab intentione finis, habet ex fine intento circumstantiam, quando non per se connectitur cum fine, ut cum quis interius eligit furari propter ambitionem, vel adulterium consequendum, vel odit

Deum propter regnum consequendum. Nam etiam in tali actu voluntatis, influit intentio illius finis accidentaliter, et non per se, si quidem sine illo potest fieri talis actio, quia potest ad alium finem ordinari: ergo electioni furti, accidentaliter est intentio mœchiæ, ergo circumstat illum.

XXXVIII. Nec obstat, quod finis sit motivum, cujus gratia respectu mediorum, est enim motivum alliciens, sed non semper per se connexum, sed accidentaliter adveniens objecto specificanti. Et sic D. Thomas quæstione VII citata, articulo IV, dicit: « Quod objectum, et motivum voluntatis est finis, et ideo principalissima omnium circumstantiarum est illa, quæ attingit actum ex parte finis, scilicet, cujus gratia, est ergo finis, et circumstantia et motivum, sub diversa consideratione. » Et sic deducitur conclusio ex D. Thoma infra q. VII, articulo III ad tertium, ubi inquit: « Non enim finis qui dat speciem actus, est circumstantia, sed aliquis finis adjunctus: sicut quod fortis, fortiter agat propter bonum fortitudinis, non est circumstantia sed si fortiter agat propter liberationem civitatis, vel populi christiani, vel aliquid hujusmodi. » Addit q. XVIII, articulo VI ad secundum: « Quod ordinari ad talem finem, et si accadat actui exteriori, non tamen accedit interiori actui voluntatis, qui comparatur ad exteriorem, sicut formale, ad materiale. » Quomodo autem accadat exteriori actui ista ordinatio in finem, et consequenter reddatur circumstantia ejus, explicat articulo septimo sequenti, his verbis. « Sic igitur quando objectum est per se ordinatum ad finem, differentia specifica, quæ est ex objecto, non est per se determinativa ejus, quod est ex fine, nec converso. Unde una istarum specierum non est sub alia;

sed tunc actus moralis est sub duabus speciebus, quasi disparatis: unde dicimus quod ille, qui furatur ut mœchetur, committit duas malitias in uno actu. » Quare ex hoc maxime manifestatur, quomodo finis sit circumstantia, si species quam dat finis, non sit per se determinativa speciei, quam habet actus exterior ex objecto; sic enim species data a fine, accidentaliter se habet ad speciem datam ab objecto.

XXXIX. Ex his manifestatur conclusio posita, et componitur utrumque, scilicet, quod finis sit specificans, et circumstans sub diversa formalitate, et consideratione, ut egregie dixit Cajetanus infra q. xviii, art. iv. Dicimus enim quod finis tripliciter considerari potest. Primo, respectu actus interioris, ut res, seu objectum directe ab eo attactum; et sic directe specificat ipsum, non circumstat; secundo, respectu actus exterioris, qui versatur erga media directe, et circa finem in obliquo, quia respicit media, ut ordinata, et conducentia ad finem, sicut scientia respicit conclusionem, ut deductam ex principiis, visus colorem, ut illustrabilem a luce. Et sic finis non circumstat actum, sed adhuc essentialiter, et specificative se habet ad ipsum, non directe, et formaliter, sed in obliquo, et ut contentum in mediis; specificant enim media non ratione sui, sed ut conducentia ad finem, et ordinata ad ipsum, et participativa bonitatis ejus, et ut sunt aliquid finis. Et ita media non specificant sine relatione, et dependentia a fine. Et hoc est finem pertinere ad specificationem mediorum erga actus exteriores, non directe, et formaliter, sed in obliquo, quia non ipse finis est objectum, sed media, non quomocumque, sed ut sunt aliquid finis, et involvunt ordinem ad finem, sicut

conclusio est objectum scientiæ non absolute, sed ut deducta ex principiis; ideoque non dicimus finem ibi specificare, sed pertinere ad specificationem, scilicet in obliquo. Tertio, finis speciem determinatam, quam præbet actui interiori, seu intentionis, refundit accidentaliter in exteriorem, communicando illi malitiam vel bonitatem suam, ut talem, et determinatam, qua posset carere; et sit circumstat actum exteriorem, id est, accidentalem malitiam, vel bonitatem ei præbet, quia licet actus exterior respiciat pro objecto specificativo medium, ut ordinatum ad finem, et sic ordinari ad finem, ab eoque derivari, et participari, est intrinsecum, et essentielle medio, sed ad talem finem specialiter ordinari, hoc accidentale est medio, quia potest ad alium, vel ad alium ordinari: sicut essentielle est loco, quod sit superficies ambiens, et continens locatum, sed quod illa superficies sit aquæ, vel aeris, aut alterius corporis, accidentale est loco.

XL. Et hæc omnia constat ex ipsa natura finis, et mediorum, atque actuum, qui erga illa versantur. Nam quod finis specificet directe actum intentionis, qui est actus interior, constat, quia est ejus objectum directe, et immediate attactum, et specificativum illius. Quod vero actus exterior specificetur a medio, non quomocumque, sed ut conducente ad finem, et involvente finem in obliquo, etiam constat, quia medium non movet ratione sui, sed ut est utile ad finem, et in tantum eligitur, et imperatur ab intendente finem, in quantum ad illum conducit; ergo in medio involvi ordinem ad finem, et participationem ad illum, essentielle est medio, ut sit volitum per modum medii, et utilis seu conducentis. Quod vero species accepta a fine, sive bonitas, sive malitia, accidentaliter

circumstat medium, et actum, qui est circa media, constat, quia potest adesse et abesse, manente essentiali malitia; sicut furtum potest committi, vel propter ludum, vel propter adulterium; jejunium appeti, vel propter penitentiam, vel propter salutem corporalem. Ergo accidentaliter se habet. Ratio vero est, quia licet omne medium, ut tale debeat esse propter finem, contingit tamen aliquod medium esse indifferens ad diversos fines et cuicumque illorum posse deservire; unde licet per se et essentialiter subordinetur fini, et illum respiciat, tamen non per se respicit hunc, vel illum determinate ut constituatur in specie sua propria. Et ideo bonitas, seu malitia, aut species quæ augetur ex tali determinato fine, accidentaliter est et sic non specificare dicitur, sed circumstare.

XLI. Quod si instes: Nam ista accidentaliter species, seu circumstantia finis, advenit illi actui, qui versatur circa media, ex ipsa ordinatione, quam habet ad finem, si quidem per respectum, et proportionem actus ad finem, sumit ab ipso speciem, vel circumstantiam, ut S. Thomas docet infra q. xviii, articulo iv ad secundum: nec enim est alius modus, quo actio ab objecto hauriat speciem, quam mediante ordine, et respectu ad ipsum: sed ordo medii ad finem est essentialis ipsi medio, ut dictum est: ergo ordo ad istum finem determinate, non potest accidentaliter esse, quia non est alius ordo medii ad finem in genere, et ad istum in specie, vel in particulari, respondetur quod quando medium indifferenter se habet ad plures fines, et illis potest deservire, ita quod species ex fine, non est per se determinativa speciei, quæ est ex objecto, sed determinatur ex voluntate operantis, non est inconveniens, quod ordo ad finem, hic,

et nunc determinate sit accidentaliter, et respiciat illum, ut circumstantiam: et tamen ordo ipse, seu capacitas ad aliquem finem sub disjunctione, seu vage sumptum, sit essentialis; sicut in exemplis supra allatis monstratum est: locus enim essentialiter, et formaliter dicit superficiem ambientem; accidentaliter autem, et materialiter, quod sit hæc vel illa, quod sit aeris vel aquæ, etc. Et numerus essentialiter petit ultimam unitatem, alias si ultimam unitatem non habeat, finitus numerus non esset; quod autem ista unitas determinate sit ultima, materialiter et accidentaliter se habet. Et homo essentialiter petit oculum ad videndum, istum autem, vel illum determinate, accidentaliter petit, quia sine quolibet in particulari, videre potest. Et sic sunt alia sexcenta exempla, in quibus essentialiter petitur aliquod disjunctum, accidentaliter vero hoc, vel illud determinate. Sic sunt multa media essentialiter, et formaliter habentia ordinem ad finem vage, et indifferenter sumptum, determinate vero, et in particulari, hunc vel illum, accidentaliter respiciunt.

XLII. Et cum instatur, quia non potest ordo ad finem in communi, et in genere, essentialiter convenire, et in particulari accidentaliter, cum sit idemmet respectus, respondetur quod in his mediis indifferenter, respectus et ordo ad istum finem determinatum, de facto, et in re, et formaliter, semper est accidentaliter: quia est ex applicatione et determinatione voluntatis, quæ accidentaliter est actui imperato. Respectus autem, et ordo ad finem illum vage, et in communi, seu disjunctive consideratum, non est idemmet respectus generice sumptus; sed est capacitas, seu fundamentum, et exigentia istius medii, ut ad aliquem finem ordinetur, qui